

De æqualibus medijsq; motibus reuolutionum
centri terræ. Cap. xiii.



Nni magnitudinem & eius æqualitatem, quam Thebith Benchoræ prodidit, uno duntaxat secundo scrupulo inuenimus esse maiorem, & tertius x. ut sit die rum ccclxv. scrup. primorum xv. secundorum xxiiii. tertiorum x. quæ sunt horæ æquales vi. scrup. prima ix. secunda xl. pateatq; certa ipsius æqualitas ad non errantium stellarum sphæram. Cum ergo ccclx. unius circuli gradus multiplicauerimus per ccclxv. dies, & collectum diuilerimus per dies ccclxv. scrup. prima xv. secuda xxiiii. tert. x. habebimus unius anni Ägyptij motū in sexagenis graduū quinq; gradibus lix. scrup. primis xlvi. secundis xlvi. tertis vii. quartis iii. Et sexaginta annorum similiū motum, reiectis integris circulis, graduū Sexagenas v. gradus xlvi. scrup. prima xlvi. secunda vii. tertia iii. Rursum si annum motum partiamur per dies ccclxv. habebimus diarium motum scrup. primorum lix. secundorum viii. tertiorum xi. quartorum xxii. Quod si mediam æqualemq; æquinoctiorum præcessiō nem his adiecerimus, componemus æqualem quoq; motum in annis temporarijs, annum Sexa. v. grad. lix. prim. xlvi. secund. xxxix. tert. xix. quart. ix. Et diarium scrup. pri. lix. secund. viii. tert. xix. quart. xxxvii. Et ea ratione illum quidem motum Solis, ut uulgari uerbo utar, simplicem æqualem possumus appellare, hunc uero æqualem compositum, quos etiam in tabulis exponemus eo modo, prout circa præcessionem æquinoctiorum fecimus. Quibus additur motus anomaliae Solis æqualis, de qua postea.